



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructorii Conscientiæ R. P. F. Lvdovici Lopez Ordinis Prædicatorvm ...

In qua reliquæ materiæ quæ ad Instructionem Conscientiæ pertinent ex
Orthodoxis Ecclesiæ iudiciis & scholasticorum Theologorum, tum
Iurisconsultorum resolutionibus scitu perutiles latè & copiosè disputantur

López, Luys

Lvgdvni, 1588

De donationibus & promissionibus, quæ materia proficua est etiam Iuristis
Cap. XXVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41259

pende quoque secundum l. 8. & 13. & 2. tit. 9. partitæ. 6. per restitutionem in integrum vsque ad 28. annum qui cum minor esset. 25. annis renunciauit hæreditati poterit eam recuperare.

¶ Vterius secundum l. 6. titul. 22. partitæ. 3. pupillus, id est, tutor vice eius, mulier quoque in utero habens et marito suo, dum bonorum possessionem in iudicio postulant, pro pupillo etiam non probata plene filiatione, vel matrimonio, in possessionem bonorum manumittendi sunt illico. Cumque talis pupillus annos discretionis legitimos, id est, 14. fuerit adeptus: possunt exceptiones contra eius legitimitatem, & matrimonium, & filiationem matrisque impregnationem obijci. ¶ Ad hæc secundum l. 14. Taurensem absque licentia viri vxor hæreditati alicui sibi obuienti renunciate non valet: licet possit eam acceptare cum beneficio inuentarij, & non aliter. ¶ Deinde secundum l. 7. tit. 13. parti. 6. sancitur quod si maritus diues reliquerit vxorem pauperem, ipsa quartam partem bonorum mariti hæreditet siue filij manserint, siue non, quando ipsa aliter pro qualitate personæ vitam transigere non possit.

¶ Arræ domum secundum l. 1. titulo. 2. libro tertio fori decimam partem bonorum mariti, quando ipsæ eas dederit, vel ipsa petiuerit non excedent. ¶ Cautetur insuper in recopilatione noua l. 1. libro quinto, titulo. 4. nullum regnorum Hispaniæ incolam dum sponsalia contrahit, vel ducit vxorem suæ sponsæ vel coniugii indumentis, iocalibus, vel aliis rebus posse dare ultra valorem octauæ partis dotis quam ipsa attulit, virque recipit. Annullantur autem contractus, pacta, vel promissiones in fraudem huius legis initæ, & decernuntur nullas esse valoris, & effectus, sed de his satis.

¶ *De donationibus & promissionibus, quæ materia profusa est etiam Iuristis*

CAP. XXVII.

Quoniam de donationibus inter virum & vxorem, & inter patrem & filium iam peregrimus de donationibus & promissionibus, quia forte nullus

nos a prior locis manebit, vel ne ad eandem materiam pertinentiam segregemus: materiam absoluamus hic operaprecium erit. ¶ Igitur, ut à diffinitione donationis exordiamur: donatio proprie est: cum quis ea mente dat ut statim accipientis fiat: neque vlllo casu ad se reuertitur velit, quia solum proprie spectat ad liberalitatem.

¶ Sed iam primū emergit dubium, vtrum donatio vltra quantitatem à lege statutam, & concessam donari, valida sit necne? & quo expeditius ab hac quaestione nos extricemus dicimus aliter nobis esse loquendum in foro conscientiae: aliter vero in exteriori foro. Nam si in foro conscientiae loquamur dum parentes inofficiose non donent, & dum alij non donant vltra praescriptū per leges, si de propriis donent, valida erit donatio, atque donatarius recipiens id donatum liber manet à restitutione, propter regulam generalem communiter acceptam, scilicet quia nihil est tam naturale, quam ut dominia in alios ex voluntate domini transferantur, praesertim quando huiusmodi translatio dominij per legem in foro conscientiae non praepeditur, & leges solum prohibent formam contractus in foro exteriori, & non in foro animae: ut constat ex consuetudine, quae est optima legum interpretres.

¶ Vnde ex ista sententia, cui accedit frater Iosephus in suis floribus in materia de restitutione: sequitur donationem excedentem summam quingentorum aureorum, quam iura prohibent sine insinuatione fieri posse, id est secundum Syluestrum sine iudicis competentis auctoritate ad sic donandum praestita^a validam esse in conscientia etiam si sine tali insinuatione, id est sine praestatione auctoritatis superioris fiat. ¶ Imo si iuramento firmetur talis donatio excedens, facta sine insinuatione, valida erit in foro exteriori secundū Iulium Clarum. Estque apud Legistas & Canonistas canonizata opinio. Intelligiturque confirmari iuramento, si tali insinuationi fuit renuntiatum specialiter, quia secundum Legistas & Canonistas communiter, potest illi cum iuramento renuntiari, & licet ita sit tenendum, tamen fauor animae & iuramenti videtur hic militare, ut etiam in foro exteriori valeat quamuis insinuationi non renuntiauerit.

¶ Sed

Qd.

a l. sanctus. C. de donatione.

Q^o. 2. ¶ Sed iam alia quæstio in medium producitur ventila-
 landa scilicet an donatio per quemcumque metum facta
 in conscientia sit nulla. ¶ Nam Panormitanus cap. Abbas
 in Sum. validam esse testatur. Almainus verò eam validam esse
 L. ar. c. 7. inficiatur, sed veritas rei est, quod donatio per quemcum-
 nu n. 4. ex que metum facta est in conscientia nulla. Quia donatio
 mente A- suaapte natura est datio gratuita & libera, at metus sine
 driam. in grauis sit, id est cadens in virum constantem, siue modus
 4. de resti- cus, vterque extenuat libertatem. Ergo vterque in con-
 sut. q. 2. scientia efficit donationem irritam. Est tamen sententia
 col. 4. vers. hæc contra canonistas asserentes ad annullandam do-
 ex quibus. nationem requiri metum grauem, id est cadentem in vi-
 rum constantem, sed tamen huic meæ sententiæ accedit
 frater Iosephus in suis floribus loco supra allegato, eam-
 que sua autoritate fulcit Nauarrus^b. docet transactio-
 nem & donationem in foro conscientia non valere quon-
 tias non sunt animo libero, etiam si non intercedat tan-
 tus metus, quantum forum exterius ad inualidandum est

e Quilibet requirit. e

contractus ¶ Secundo ad quæstionem superadijicimus, quòd
 celebratus donans iuramento firmauerit donationem tunc etiam
 iusto me- metu quocumque adactus id iurauit astrictus manet
 tu, siue sit eam donationem adimplendam, nisi forte iuramenti
 hinc inde laxationem petierit. Ad donatarius in hoc casu, tenetur
 obligato- talem donationem remittere, vel iam acceptam restituere
 rius, siue ex cap. i. de iureiurando.

altera ¶ Vterius iam in dubium in hac materia solet reuocari
 tum parte an donatio facta solo voluntatis interiori actu sit
 rescindi- conscientia valida, verbi gratia, si Petrus animo suo, et
 tur. Alex. verbo, in scio Paulo, quidpiam donaret, an ex donatione
 l. si dona- illa Petrus teneretur antequam Paulus acceptaret. Et in
 tionis. C. de detur teneri quia cum Deo apud se quidpiam quis voto
 his que vi illico obligatur: pari formiter, ergo videtur ligari
 metusve sic donauit. ¶ Ad quæstionem existimo dicendum primo
 causa fuit. quòd quando viriusque partis consensus expressus non
 e l. Inter interuenit donatio est nulla. Est Soti de iusticia & iure
 positus. C. bro tertio, quæstione quinta, articulo tertio. Ideo quæ-
 de transact. Sotus antequam donationem alter acceptet potest reuocari
 cari absque vlla iusta causa. Secus est de voto Deo facti

Q^o. 3. quia ipse si iustum est, semper acceptat. Est fratris Ioseph

sephi in suis floribus, est etiam Iulij Clari iuristæ In tractatu de donationibus, & probatur hoc dictum primo ratione Soti, quia cum donatio sit quædam datio, datio vero relationem dicat ad accipientem: non videtur oriri obligatio antequam alter acceptet.

¶ Secundo, ratione fratris Iosephi quia donatio est contractus. Contractus autem est attractio voluntatis vtriusq; partis, ergo vtriusq; partis consensus requiritur: vnde secundum Iulium Clarum non potest perici donatio nisi interueniente pacto.

¶ Sed nunquid donatio ad pias causas facta absenti, id est ecclesiæ, vel pauperibus, in fauorem piæ causæ valida erit? Respondet Iulius Clarus loco citato quod si non sit aliquis qui pro tali absenti, scilicet pro ecclesiâ, vel pauperibus acceptet, donatio valida non erit. Quod notandum ipse censet, quia de facili quis posset respondere contrarium, nisi aduerteret.

¶ Sed quid si solenniter coram testibus donatio fiat absenti. ¶ Cum huius quæstionis meminerit Sotus loco citato: respondet in hoc standum esse iuri civili: quare dicendum est ad quæstionem cum Iulio Claro iuris civilis studiosissimo, quod donatio facta absenti valida nequaquam est: nisi nuntius epistolave interuenerit, quia perici non potest sine pacto, ac perinde nec sine consensu donantis, vel donatarij interueniente. ¶ Requiritur autem talis nuntius specialiter à donante, sit destinatus. Nō enim satis esset: si per motum proprium alius eam donationem ad aures donatarij, cuiusq; notitiam deferret.

¶ Vnde non satis est, si donatarius apprehenderit possessionem rei donatæ sibi in absentia, nisi vt rursus repetimus, ad id specialiter nuntius, vel epistola mittatur à donante. ¶ Sed quid si donatio fiat absenti: notario stipulante pro ipso absente, an valida erit? Respondetur, quod valida sane tunc erit secundum Iulium Clarum. Et quæritur actio donatario sine cessione. Potest enim notarius alteri stipulari pro altero. Et in hoc casu, vbi pro donatario absente stipulatur notarius: valida erit donatio ante acceptationem illius factam à donatario. Et secundum opinionem magis communem non poterit reuocari. Ita Iulius Clarus sequendo ius commune

mune ciuile ait, ita frater Iosephus in suis floribus ad quod nulla erit donatio per scripturam, & coram testibus absentia facta, si antequam donatarius acceperit, reuocetur quia deficit voluntas vtriusque partis requisita ad donationem.

Qō. 6. ¶ Sed quidquid sit de iure ciuili communi arbitror secundum legem peculiarem Hispaniæ regis Illephonsi inter Hispanos sententiam Soti ^d magis fore auscultandam vbi ait quod si donatio solenniter coram testibus fiat absentia, absque donatarij consensu, vel absque legitima causa iura reuocationem non sinere. Quod si ita est neque in conscientia reuocari permittitur. Ita Sotus. quæ quidem sententia procedit stando non in iure communi sed stando in l. 2. recopilationis nouæ lib. 5. tit. 16. domini regis Alphonsi secundi Compluti edita. vbi sic decernitur eum apparuerit quempiam alteri obligare se voluisse per promissionem, contractumve aliquem, ipsum quippe teneri explere id ad quod sic se alstringit per obligationem talem: neque excipere posse de stipulatione non facta, hoc est de promissione certa solennitate iuris non præmissa, neque excipere posse contractum talem vel obligationem inter absentes intercessisse, neque ante tabellionem publicum interuenisse, vel talem obligationem, vel contractum, vel promissionem alteri personæ priuati nomine absentium fuisse factam, vel quod se astrinxerit alicui se exhibiturum alteri aliquid vel aliquam rem gesturum, adhuc huiusmodi obligationem, & contractum, quæ forma cognitum sit vnum alteri se voluisse obligare, valere sancitur.

¶ Vnde considerato effectu, & substantia verborum, vbi innuit imo apertè ait Iulius Clarus loco allegato cum nihil aliud sit promissio donandi, quam donatio, & donatio cum plus perfectionis habeat quam promissio: sequitur quod facta solenniter coram testibus sit obligatoria etiam si fiat absentia, quia prædicta lex Hispaniæ quæ de iure communi sunt exceptiones omnes pro donantibus, contra donatarios absentes tempore contractus donationis, tollit: vnde cum in dubio semper inclinandum nobis sit in sententiã per quam actus efficax reddatur: sequitur quod quamuis sententiã hæc Soti esset dubia quæ profectio
talis

talis non est inter Hispanos: quia ei suffragatur prædicta Hispanica lex: quia fauet validitati donationis huius absenti solenniter coram testibus factæ: magis auscultanda est.

¶ Sed quid videtur dicendum, si donatio facta fuerit præsentis donatario tacenti, an valida erit. Dico ergo primo quod præsentis donatarius si taceat dum sibi fieri donationem videt: adhuc donatio valida esse videtur dicendum si regulam iuris hic auscultemus in 6. regul. 43. qui tacet consentire videtur. Quæ regula secundum interpretes, & glossam maximum locum habet in favorabilibus: inter quæ computatur donatio. Erit igitur valida donatio facta præsentis, & tacenti: ita Iulius Clarus materia de donationibus contra fratrem Iosephum de vor. quâvis crediderim, quod sicut ait Sotus pars cui promissa sunt sponsalia, ut illa acceptet si nihil in præsentis spondeat: sed tempus deliberandi accipiat: diuq; deliberationem prolatet, censetur alterius promissionem continere. Sic & in hoc casu, si donatarius, qui tacuit cum donatio facta fuit sibi præsentis, deliberationem acceptandi eam expresse, vel eam postulandi prolatet, iam eam censetur continere.

Q⁵⁷.
e Sotus in
4. sentent.
tom. 3. 2. di
st. 27. q.
2. art. 1. cir
ca primam
conclusio-
nem.

¶ De donationibus sub conditione vel modo validis, vel renouabilibus, vel non renouabilibus.

CAP. XXVIII.

PORRO quoniam materiam de donationibus aggressi sumus illucidare, de donationis sub conditione emisse validitate non est hic nobis prætereunda disputatio. Queritur ergo an talis donatio sub conditione robur valoris obtineat. Igitur pro appertione difficultatis statuamus has propositiones. Quarum prima sit secundum ius civile conditio impossibilis, vel turpis de futuro, vel matrimonij impeditiua, scilicet lego Mariæ mille, si non nupsit, vel maioris boni impeditiua, scilicet si religionem non ingrediatur: donationem præsentem in testamento factam, quoad forum exterius non inualdat. Patet conclusio, quia huiusmodi conditiones in iure pro non appertitis

Q⁶¹.